



**R. Patris, Francisci Svarez, E Societate Iesv,
Metaphysicarvm Disputationvm, In Qvibvs Et Vniversa
Natvralis Theologia Ordinate Traditvr, Et Qvæstiones Ad
omnes duodecim Aristotelis Libros ...**

Suárez, Francisco

Mogvntiæ ; [Coloniæ Agrippinæ], 1630

2 Vtrum substantia sit prior cognitione accidente.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94179](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94179)

autem has proprietates distinxit: unde in verbis, & ratione superius adductis de separabilitate, non videtur probare prioritatem temporis, sed naturæ, & prioritatem temporis sine probatione reliquisse videtur, ut Niphus aduertit. Sed responderi potest, prioritatem naturæ rei significare prioritatem perfectionis seu causalitatis: prioritatem autem temporis significare prioritatem separabilitatis. Quæ licet dicto modo explicata non sit, nisi quædam prioritas naturæ, tamen hic dicta est prioritas temporis, tum ut distingueretur ab alia prioritatis naturæ, tum etiam quia per se & quasi aptitudine est quædam prioritas temporis, licet per accidens, seu ex alio capite non reducatur in actum. Et iuxta hanc expositionem potest dici, Aristotelem illa vnica ratione vtrumque membrum probasse, ne alterum, sine probatione omisit videretur. Nam ex eo, quod accidens est inseparabile, substantia vero separabilis est; optime inferitur & esse priorē natura seu perfectione, & tempore in prædicto sensu. Quæ expositio in eo tantum displicet, quod apud Arist. *esset prius tempore* nunquam habet illam significationem, sed solum significat realem prioritatem in existendo, ut patet post prædic. & ex 5. Metaph. de priori, posset ergo addi cum illa prioritatis aptitudinali (ut ita dicam) coniungi, ut in eadem re semper substantia tempore præcedat multa accidentia, etsi non præcedat omnia: & cōuerso autem nullum accidens præcedat tempore substantiā, cuius est accidens: hoc enim satis est, ut supra dixi, ad hoc, ut substantia dicatur permixta, seu indefinite prior tempore accidente. Neque enim Aristoteles addidit distributionem.

Quarta expositio.

VII.

Ultimo exponitur: quod substantia dicatur prior tempore accidente, solum quia aliqua substantia separatur ab omni accidente, & in re existit sine illo, quæ est prima expositio Comment. quam sequitur D. Thom. ut dixi, & ita eam defendunt Thomistæ. Quod si inquiras, quid hoc referat ad prioritatem temporis: nam ut vnum sit prius tempore alio, non satis est, quod sit separabile ab illo secundum realem vnionem, seu inhesionem, sed necesse est, ut etiam secundum coexistentiam. Quamuis autem Deus sit separabilis ab omnibus accidentibus priori modo, non tamen modo posteriori, supposito, quod aliqua accidentia sint æterna, imo & tempus ipsum, nam licet non sint in Deo, tamen simul sunt cum ipso Deo. Respondet Alexan. Alensis in eum locum substantiæ, ut sic non repugnare esse sine accidente, etiam secundum coexistentiam. Sed hoc reuoluitur iam in prioritatem tantum quoad subsistendi consequentiam Iauel. autem q. 3. ait, ut Deus dicatur prior tempore accidente satis esse, quod Deus nunc sit, & nunc accidens non sit in eo. Sed hoc friuolum est, quia esse prius tempore accidente non dicit negationem inhesionis, sed simultatis coexistentiæ: alias angelus diceretur prior tempore luce solis: quia nunc est angelus, & lux solis non est in illo. Aliam responsionem indicat Alensis, quam amplectitur Soncinas, nimirum, Deum dici priorem tempore, quia existit: & mensuratur priori duratione, quam sit tempus, scilicet, duratione æternitatis. Sed hæc violenta expositio est: Aristoteles enim nunquam meminit æternitatis proprie & rigorose sumptæ, nec facit comparationem eius ad tempus. Et præterea, si res creatæ essent cōternæ Deo, licet possit Deus dici prior duratione prioritatis perfectionis in ipsamet duratione: non tamen prioritatis antecessoris, cum autem aliquid dicitur prius tempore, iuxta communem vsunt & præsertim apud Aristotelem, non comparatur in perfectione durationis, sed in antecessione existen-

tia, siue illa mensuretur proprio tempore, siue æternitate cum æuo: hoc enim nihil refert.

Resolutio & approbatio tertiæ expositionis.

Mhi ergo sola tertia expositio satisfacit, quam etiam Alexand. Aphrodis. indicauit, nimirum, nil aliud Aristotelem docuisse, quam quod in re ipsa verum esse diximus, substantiā videlicet ex se tempore posse præcedere sua accidentia, & re ipsa ita esse priorem multis: quod vero aliquibus sit cōuersa, ad rationem substantiæ & accidentis ut sic esse per accidens, & ex aliqua alia causalitate oriri. Quod fortasse etiam diceret Aristot. supposita mundi æternitate de rationibus substantiæ & accidentis in communi comparatis.

SECTIO II.

Virum substantia sit prior cognitione accidente.



Ristoteles citato loco non solum dixit substantiam esse priorem ratione, sed etiam esse priorem ratione, seu definitione accidente. Quæ prioritas in hoc consistit, quod accidens non potest definiti, nisi per substantiam definitione essentiali & propria: substantia vero, quia ex sua essentia neque accidentia neque habitudinem ad accidentia includit, non indiget illis, ut exacte definiatur. Atque ita hæc pars exposita relinquitur ex dictis disp. præcedente.

Ratio dubitandi.

Hinc vero oritur difficultas circa præsentem comparationem, quia vel est sermo de cognitione distincta & propria, qualem habent Deus & intelligentiæ. Et hæc comparatio non erit diuersa à priori: licet enim idem est esse priorem cognitione, quod esse priorem definitione. Nec etiam illa prioritas consistit in hoc, quod cognitio substantiæ præcedat tempore cognitionem accidentis: id enim necessarium non est, ut patet in Deo & intelligentiis. Solum ergo in hoc consistit, quod cognitio accidentis per se requirit cognitionem substantiæ, non vero è contra: hoc autem ipsum est esse prius definitione. Aut est sermo de cognitione confusa & imperfecta, qualem homines assequi possunt: quæ videtur esse mens Aristotelis: nam respectu nostræ cognitionis hanc facit comparationem: hoc autem sensu falsum est, substantiam esse priorem cognitione accidente: quia homines prius cognoscimus accidentia quam substantiam: nam cum à sensibus cognitionem accipiamus, id prius intellectu percipimus, quod ex specibus sensatis prius elici potest: id autem prius elici potest, quod nostris sensibus propinquius est: sunt autem accidentia propinquiora sensibus, cum illa sola sint per se sensibilia.

Sensus questionis aperitur.

Circa hanc comparationem est breuiter aduertendum, posse fieri vel ex parte rerum cognoscibilium, vel ex parte rei cognoscentis, præsertim hominis. Priori sensu est questio, quid sit ex se prius cognoscibile: posteriori vero quid homo prius cognoscat. Unde intelligitur, hanc posteriorē questionem ad præsens nihil referre ubi interdimus rationes ipsas substantiæ & accidentis secundum se comparare: quod autem humana cognitio prius in vna, quam in altera versetur, nihil refert ad rerum ipsarum perfectionem declarandam, cum possit ille ordo ex peculiari hominis

minus conditione oriri. Prior ergo comparatio est, quæ in præfenti sit, & illam solam existimo Aristot. fecisse: expostitores vero addiderunt aliâ, quam breuiter attingemus, quia proprie & ex professo pertinet ad scientiam de Anima.

Vt ergo & Aristotelis mentem & rem ipsam in priori sensu declaremus, est aduertendum secundo, tribus modis posse rem vnâ dici priorem cognitione aliâ, scilicet, natura seu perfectione, independentia, quæ est alius modus prioritaris naturæ: & generatione seu tempore. Hoc autem vltimum membrum non habet locum in comparatione, quæ tantum sit ex parte ipsarum rerum: quia non ex se postulant, vt prius tempore vna quam alia cognoscatur, ideo cum Aristoteles ait substantiam esse priorem cognitione accidente, non loquitur de origine vel temporalis ordine cognitionis, quia est impertinens, & aut reuera non est, aut non oritur ex ratione ipsius substantiæ, sed ex parte hominis, & nihil refert ad perfectionem substantiæ declarandam: nam potius ea, quæ minus perfecta sunt, solent esse generatione, & tempore priora.

Questionis resolutio.

Superfunt ergo aliæ duæ prioritates naturæ: Et illa quidem, quæ est independentia, coincidit cum prioritate definitionis, vt recte probat ratio dubitandi in principio posita: quæ dici etiam potest quedam prioritas cognitionis, nam cum accidens natura sua pendeat à substantia quoad perfectam sui cognitionem, è contra vero substantia non pendeat ab accidente, merito potest hac ratione dici substantia prior cognitione accidente.

Præter hunc autem modum prioritaris est alius, qui simpliciter consistit in maiori perfectione: & sic substantia dicitur prior cognitione accidente ex eo, quod nata est parere nobiliorem cognitionem. Atq; hunc sensum videtur intendisse Philosophus. Quod patet, tum quia ex parte rerum ipsarum, non potest cogitari alius modus prioritaris, tum etiam ex probatione, quam adiungit, dicens. Et tunc maxime vnum quodque seire putamus, cum quid est homo, aut ignis scimus, quam cum scimus eorum accidentia. Non ergo dicit substantiam esse priorem cognitione, quia eius cognitio prius habeatur, imò videtur supponere prius sepe haberi cognitionem imperfectam per accidentia. Vocat ergo priorem, quia illius cognitio est, quæ maxime satisficit intellectui. Et ideo etiam nihil distinguendum putauit Aristoteles de cognitione distincta aut confusa, perfecta vel imperfecta: nam res ex se non comparantur, nisi ad cognitionem propriam & quidditatuam, quam ex se postulant. Quare ad hoc declarandum addidit Aristoteles, etiam in ipsis accidentibus essentiam vniuersiusque esse cognitione priorem, quam accidentia seu proprietates eius. Et ita explicata manet & mens Aristotelis, & res ipsa quia reuera ex parte ipsarum rerum non potest fieri alia comparatio.

Solum potest quis obijcere, quia ad perfectam rei cognitionem non satis est cognoscere essentiam, nisi cognoscantur etiam proprietates: ergo perfecta cognitio substantiæ pendet ex accidentibus: ergo non potest substantia quoad perfectam cognitionem esse simpliciter prior accidente. Respondetur primò, comparationem vt recte fiat, debere fieri cum præfatione substantiæ ab accidentibus, nam si cognitio ipsa accidentium sumatur, quatenus per eâ suo modo perficitur cognitio substantiæ eo quod accidentia sunt proprietates vel affectiones substantiæ: sic perfectior erit cognitio substantiæ, quæ includat cognitionem accidentium, quam præcise sumpta solius substantiæ cognitio: sic enim cognitio comprehensiuâ perfectior est, quam quidditatiua. Vnde dicitur secundo, duplicem esse rei cognitionem: vna dicitur

definitiuâ, quæ per se loquendo, sistit in cognitione essentia & quidditatis rei: altera est demonstratiua, per quam proprietates ostenduntur de subiecto. In substantia ergo cognitio propria illius est cognitio definitiuâ, seu quidditatiua: & hæc vt sit in suo ordine perfecta, non requirit cognitionem proprietatum, quia hæc solum pertinent ad alteram cognitionem, quæ demonstratiua est: quæ iam formaliter ac directe non est cognitio substantiæ, sed eorum, quæ substantiæ insunt. Vnde potius videtur Aristoteles has duas cognitiones inter se conferre, & eam præferre in vnaquaque re, quæ ad essentiam terminatur. Et quia ratio essentia simpliciter ac perfecte reperitur in sola substantia, ideo concludit substantiam esse priorem cognitione accidentibus. Et hæc satis esse possunt ad Aristotelis intelligentiam, & ad comparationem prædictam explicandam, quatenus ex parte ipsarum rerum fieri poterat.

Quoad nos sit eadem comparatio.

Vt autem alteri etiâ parti breuiter satisfaciamus, aduerto nõ deesse qui dicant, respectu nostri, & via originis prius cadere in cognitionem nostram substantiam, quam accidens, saltem quoad confusam & imperfectam cognitionem, licet quoad distinctam & propriam cognoscatur substantia per accidentia. Ita tenet Soncin. 7. Metaph. quæstione 13. & Iauel. quæstione tertia. Et posterior quidem pars huius sententia manifesta est vel ipsa experientia, nec de illa est controuersia inter authores. Nos enim nõ deuenimus in cognitionem substantiarum quoad propria genera, vel proprias differentias earum, nisi per accidentia vel proprietates mediis aliquibus effectibus vel signis sensibilibus. Quoad priorem vero partem probatur à dictis authoribus, quia non potest intellectus concipere accidens, nisi concipiendo substantiam, cum totum esse accidens sit ad substantiam: propter quod dixit Aristoteles non posse accidens definiri nisi per substantiam: ergo ad conceptionem accidentis necessario supponitur cõceptio substantiæ. Et alias plures rationes afferunt, quas omitto, quia parum difficiles sunt, & ex dicendis facile intelliguntur. Alii vero censent nos prius concipere accidentia quàm substantiam. Ita tenet Heru. quodlib. 3. quæst. 12. & Richard. in 2. distinct. 24. artic. 3. quæst. 3. Et sumitur ex Scoto in 1. distinct. quæst. 1. 2. & 3. & tenet Anton. Andr. 7. Metaphysic. quæst. 4. & Iandun. quæst. 3. & Niphus disput. 4. Et probatur, quia licet substantia secundum se sit perfectior, & intelligibilior, tamen respectu nostri accidentis habet maiorem vim ad immutandum intellectum, quia intellectus noster non immutatur, nisi mediis speciebus sensibus impressis: sensibus autem non imprimuntur species substantiæ, sed accidentium tantum: ergo accidentia sunt, quæ primo immutant intellectum: ergo prius concipiuntur ab intellectu, quàm substantia.

Huius puncti resolutio cum aliquali opinio-
num concordia.

Inter has opiniones hæc posterior mihi videtur absolute vera, est tamen intelligenda vt non omnino excludatur substantia à primo conceptu intellectus. Est igitur aduertendum, cum dicitur accidens prius cognosci, non esse intelligendum de accidente in abstracto, sed in concreto, vt expresse declarat Heru. & Soncinas etiam notauit, & experientia constat, & ex ratione facta cum proportionem applicata. Nam obiecta sensibilia, quæ mouent sensum non sunt accidentia in abstracto, sed in concreto, prout in re sunt, non enim immutat visum albedo, sed album, vt Aristoteles notat opusc. de sensu & sensib.

& sensibus, quia actiones sunt singularium subsistentium. Sensus ergo exterior videtur quidem accidens, non tamen abstracte, sed concrete, & ideo dicitur videre per se albedinem, per accidens autem substantiam, de anim. c. 6. quia videt album seu coloratum, in quo includitur aliquo modo substantia: ergo similiter intellectus, licet primum mutetur ad cognitionem alicuius accidentis per se sensibilis, non tamen ut illud in abstracto concipiat, sed in concreto. Ex quo fit ut à primo illo conceptu non omnino excludatur substantia, quia in illo obiectiuo conceptu accidentis concreti necessario inuoluitur substantia, quasi tecta & inuoluta accidentibus. Vnde dicere possumus, rem per se ac formaliter primo cognitam esse accidens, rem autem adæquate & quasi materialiter cognitam, esse substantiam seu compositum ex substantia & accidente, quod per modum vnius subsistentis in tali forma accidentali concipitur.

X. Quod si hoc tantum auctores prioris sententiae dicere voluissent, facile opiniones in concordiam redigerentur. Tamen aliqui expresse negant, primo concipi accidens etiam in concreto; vnde volunt concipi ipsam substantiam nudam ut substantia est. Et consequenter aiunt, primam speciem impressam intellectui virtute intellectus agentis representare tantum substantiam ut sic, & non accidens. Immo cum Thomistae alias teneant intellectum non cognoscere directe singulare, consequenter dicent cogitativam prius concipere substantiam singularem, quam accidentia eius, intellectum vero concipere substantiam in vniuersali, saltem sub communi conceptu substantiae. Haec tamen sententia hoc modo exposita, mihi videtur improbabilis, quia si de cogitativa loquamur, cum etiam illa primo cognoscat per speciem impressam à sensu vel phantasia, non potest primo recipere speciem representantem substantiam. Nam per sensationem vel phantasma per se tantum representatur accidens: substantia vero solum per accidens: qui ergo fieri potest, ut primo imprimatur speciem nudae substantiae? Quamuis ergo concedamus (quod satis controuersum est) cogitativam formare aliquando conceptum substantiae singularis ut sic, non est tamen credibile, illum esse primum conceptum formatum ex vi impressionis sensuum vel phantasiae, sed summum comparari postea aliqua inquisitione, & quasi discursu, qualis in illa potentia esse potest.

XI. Ascendendo igitur ad intellectum eodem modo philosophandum est, nam intellectus agens statim ac sensus, imaginatio, seu cogitativa apprehendunt sensibile obiectum, imprimunt intellectui possibili speciem proportionatam: non potest ergo imprimere speciem representantem solum substantiam. Et experientia id satis videtur docere, si enim dum sensus apprehendit accidens, intellectus nudam substantiam contemplaretur, statim discerneremus intellectivam apprehensionem à sensitiua, quod tamen non nisi post longum discursum & reflexionem facere possumus. Præterea, quia vel per illam speciem aut conceptum representatur substantia absolute sine villo respectu ad accidens: & hoc est impossibile non solum in primo conceptu, qui fit sine discursu ex vi impressionis obiecti, sed etiam post longam rationationem & discursum, ut recte docuit Toletus lib. 1. de anim. c. 1. q. 6. & satis id mihi probat experientia nam post longam de substantia inquisitionem non possumus eius rationem exprimere: nisi vel per negationes, vel per habitudinem subiecti accidentium. Si autem ille primus conceptus respectiuus est, non potest non supponere conceptum accidentis. Non igitur potest primo concipi substantia illo modo, sed tantum ut inuoluta, & contenta in concreto accidentis. Neque rationes Soncinatis aut Iauelli aliquid amplius probant, nisi quod primus conceptus esse debet rei, vel concreti per modum subsistentis.

XII. Atque hinc infero, quod licet res primo ac per se

cognita, re vera sit accidens, tamen ab intellectu ex vi illius conceptus non cognoscitur formaliter sub ratione accidentis, id est, sub ratione inherens alicui, sed solum sub ratione huius sensibilis & materialis entis. Immo neque ex vi illius conceptus discernitur, an illud obiectum sit compositum ex forma & subiecto, vel quid simplex, sed tantum præcise & abstracte id concipitur per modum vnius. Quod satis nobis ostendit mysterium Eucharistiae, non enim magis concipimus substantiam, ubi est sub accidentibus, quam ubi non est. Formalis ergo conceptio accidentis ut inherens, & substantiae ut sustentans, vel per se stans, discursu postea acquiritur, & maxime ex rerum mutationibus: nam dum videmus accidentia mutari, circa aliquod subiectum ipsum subiectum mutati intelligimus. Vnde si comparatio fiat inter hos conceptus expressos & formales accidentia ut accidens est, & substantiae, ut est substantia, videtur sane non esse inter eos necessarius ordo, prout in nobis sunt: quia in principio per modum correlatiuorum substantiam & accidens videtur concipere, cum solum per illam mutam habitudinem illa discernere incipiamus: postea vero indifferenter possumus excitari ad verumque directe cognoscendum, & indirecte seu in obliquo semper cognitio vnius terminatur aliquo modo ad alterum: quia, ut dixi, semper conceptio est connotatiua seu respectiua: quamuis hoc in accidente proueniat ex imperfectione eius: in substantia vero ex nostra. Sed in his latius in scientia de Anima.

DISPUTATIO XXXIX.

De diuisione accidentis in nouem summa genera.

Diuisio hæc non solum à Metaphysico traditur, sed etiam à Dialectico, in ea parte in qua de prædicamentis disputatur, altiori tamen magisque exacta ratione ad primum Philosophum pertinet, ut ex his, quæ de obiecto huius doctrinæ diximus, constare potest. Dialecticus enim non considerat decem suprema entium genera ut eorum naturas & essentias exacte declararet, id enim extra institutum eius esset, cum Dialectica solum sit quædam ars dirigens operationes intellectus, ut artificiose, & cum ratione exerceantur. Vnde directe ac per se agit de conceptibus mentis, ut dirigibiles sunt per artem, seu de forma & ordinatione conceptuum, quatenus per artem tribui potest. Quia vero conceptus mentis circa res versantur, & in rebus fundantur, ideo de rebus tractat, non ut earum essentias & naturas declararet, sed solum in ordine ad conceptus mentis coordinandos: & hoc modo agit de decem generibus in ordine ad decem prædicamenta constituenda. Nam prædicamentum Logice sumptum nihil aliud est, quam generum & specierum, vsq; ad indiuidua conueniens dispositio sub aliquo supremo genere, quæ dispositio in ordine ad definitiones, prædicationes, & demonstrationes faciendas Dialecticus tradit. Et sub ea tantum ratione attingit res in prædicamentis constituendas, & diuisionem entis in genera summa. Propter quod dixerunt multi prædicamentorum interpretes, Dialecticum in prædicamentis potius agere de nominibus, quam de rebus. Quod intelligendum puto, non quia nomina in prædicamentis ponantur, sed quia dialecticus magis consideret res in prædicamentis collocandas, quoad quid nominis, quam quoad quid rei, quantum illi satis sit ad rerum prima capita seu genera tradenda, sub quibus alia genera & species coordinantur.

At vero Metaphysicus directe & ex proprio instituto hanc tradit diuisionem, ut proprias rationes & essentias